

Datum Laterani per manum Gerardi S. Romanæ A Ecclesiæ presylt. card. ac bibliothecarii, iv Nonas Maii, inductione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1143, pontificatus vero domini Innocentii II pape anno xiv.

DXCVIII.

Ad P. priorem et fratres ecclesias S. Fridiani Luccensis.

(Anno 1143, Jun. 26.)

[BALUZ., *Miscell.* IV, 532.]

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis P. priori et fratribus S. Fridiani, salutem et apostolicam benedictionem.

Regularis vitæ propositum in Ecclesia vestra jam diu per gratiam Dei viguit, et congregatio vestra

A sanctæ conversationis exemplo plures ad bene vivendum informavit. Relicta tamen parvolorum vita, quæ in Segor remianet, ad altiora montis cum Domino ascendistis, ubi ardua præcepta justitiae quasi ab ipsis ore percipitis, et operum executione laudabiliter adimplitis. Monemus itaque dilectionem vestram non ut incipiatis, sed ut in tam sancto et pio proposito viriliter persistatis, et, juxta Apostolum, quæ retro suut obliviscentes, de die in item in virtutibus crescendo ad ulteriora cum Domini adiutorio vos ipsos extendatis; nos autem personas et locum vestrum vera in Domino charitate diligimus, et in omnibus secundum Dominum juvare et manuteneremus.

Data Laterani vi Kal. Julii.

VARIORUM AD INNOCENTIUM EPISTOLÆ.

I.

Ad alberti archiepiscopi Moguntini responsoria et apologetica synodi Moguntinæ, Gebhardum ob probata crimina examinatum, convictum, excommunicantis, et refutatoria eorum quæ amici Gebhardi sub- et obrependo Innocentio II allegaverant.

(Anno 1130.)

[HARTZEIM, *Conc. Germ.*, III, 311.]

INNOCENTIO sanctissimo et universalí papæ, ADALBERTUS Dei gratia sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humiliis minister et apostolicæ sedis legatus, debilitam ut tanto apostolico obedientiam, et devotissimam ut tanto Patri reverentiam.

Acceptis sanctitatis vestræ litteris super causa fratris illius, si tamen frater dici debet, qui sibi sanctæ Wurzeburgensis Ecclesiæ episcopatum usurpat, intelleximus totius causæ ordinem longe aliter quam se veritas habet summo apostolatui vestro innotuisse, quia multa solent per subreptionem fieri. Item namque sanctitatibz vestræ contra nos querelas depositit, dicens se a nobis præjudicium sustinere, et contra justitiam prægravari. Nec vero in hac causa, Deo teste et conscientia nostra, nihil egimus quod canonice regulis possit obviare; nihil unde sanctitati vestre suspecti esse debeamus; nihil unde aliquis qui causam ipsam plenius tractaverit, possit nos reprehendere. Sed quidquid in hac causa egimus, non zelo amaritudinis, sed zelo justitiae, non aliquo odio promoti, sed officii intuitu, non contra sanctorum Patrum canones, sed secundum canones egimus.

Scimus quidem juxta sanctorum Patrum regulas divinitus inspiratas, episcopo episcopatum adimi non

B debere, antequam cause ejus exitus apparent. Sed optime novit sanctissimus apostolatus vester hanc sanctorum Patrum sententiam de dubiis episcoporum causis, non de manifestis intelligi debere. Ejus vero de quo agitur impudentissima causa et certum crimen, nullum legitimæ defensionis, nullum justæ excusationis colorem recepit. Luce enim clarius patet omnibus quod nullis meritorum privilegiis, nulla præeunte electione, ad tanti sacerdotii gradum est ascitus: sed tyranica violentia intrusus, in ovile Dominicanum non per ostium intravit, sed aliunde per ambitionem et Simoniacam haeresim tanquam fur et latro impudentissime irrupit; et quod sive magno dolore et cordis compunctione dicere non possumus, locum legitimi pastoris, sibi usurpavit, quem sibi sanctæ Wurzeburgensis Ecclesiæ de filiis suis, communī voto et consensu cleri et plebis, nobisque laudantibus et consentientibus, canonice inthronizandum elegerat, utpote natalibus et moribus nobilem, ecclesiastica disciplina apprise imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, via castum, sobrium, humilem, affabilem, litteratum, in lege Dei instructum, in sensibus Scripturarum tacitum [f. acutum], et per omnia sacerdotii nomine et honore dignissimum.

II.

Epistola Guigonts Carthusiæ Majoris prioris ad Innocentium. — Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias.

(Scripta ante an. 1151, quo mortuus est S. Hugo episc. Gratianopolitanus, de quo in hac epistola.)

[Opp. S. Bernardi ed. Mabill., t. II, p. 1055.]
Domino et Patri charissimo ac reverendissimo

apostolicæ sedis summo pontifici INNOCENTIO, servi et filii Carthusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem, suæque paternitatis devoutam servitatem, et non necessarium licet obsequium.

Multas ad vestri apostolatus sacras aures preces, multas pro ecclesia Gratianopolitana disponebamus offerre supplicationes, cogentibus ejusdem Ecclesie clericis, et præcipue charissimo et omni veneratione dignissimo Patre et episcopo nostro Hugone, qui (quod sine lacrymis non scribimus) dissolutus morbis et senio, inter defunctos quantum ad episcopale spectat officium, potest annumerari; sed divina, ut credimus, miseratione provenit a viro venerabili, et circa vestram obedientiam valde devoto abbate Pontiniacensi Hugone, nostram exiguitatem interim visitari, cuius auribus cuncta quæ conceperamus, infidimus, efficiacius et plenius vivæ voce vestris conspectibus inferenda. Et quia semel, cum nihil simus, forte non sine præsumptionis periculo cœpimus loqui ad dominum nostrum: rogamus et obsecramus, admonere vel exhortari minus idonei, quatenus in omnibus, quæ Romana vestris diebus vel patitur, vel facit Ecclesia, nequaquam terrenmini: sed magis confortemini in Dōmino, et in potentia virtutis ejus, insuperabilibus armis munitus, quæ suis commilitonibus ex copiis universalis imperatoris beatus offert. Apostolus: scuto scilicet fidei, et galea salutis, et qui non membra, sed errores, et vitia trucidat, gladio spiritus.

Nunc enim revera non adversus tantum carnem C et sanguinem, quæ regnum Dei non possidebunt; sed adversus rectores tenebrarum, et spirituales nequitias pugnandum est, vel pugnatum. Nam quid aliud petrinam duritiam, et leoninam rabiem, quæ aduersatur et extollitur adversus principis apostolorum vicarium, nisi diabolus nequitia, et inspiratio viperea tam atrociter concitat? Quid aliud inventatum dierum malorum, Engolismensem Gerardum, nisi veternosa cupiditas, et ambitio diabolicis immissa suggestionibus contra Catholicam pacem et veritatem tam imprudenter tamque pertinaciter ire coegit? Quid nisi serpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam detestandi schismatis flendis auctoribus, ex his quoque de quorum scientia præsumebatur et fide, plurimos copulavit? Sed haec religiosos animos, et in Catholicâ veritate fundatos tanto minus movere, tantoque minus terrere debent, quanto sunt et ab ipso Domino longius ante prædicta, et a ministris iniquitatis crebrius tentata, et a veritatis sectatoribus numerosius ac felicius superata. Quis enim numerare sufficiat, quoties apostolica fides atque constanza, ipso qui eam dedit, prædicente, et prædicendo roborante, non solum non defectura, sed et alias confirmatura; quis, inquam, numerare sufficiat, quoties potestatum sæculi crudelitatibus sit impugnata, et schismaticorum atque hæreticorum insidiis et fraudibus impedita? Quare autem ab eo, quo permittente vel jubente cuncta sunt, aliquid aliquando

A posse permissi sunt, nisi ut infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, sapientes ostenderentur; et universaliter boni coronarentur, mali condemnarentur?

B Nunc quoniam sacri pectoris intentionem a melioribus et divinioribus avocatam diutius forte quam decuit nostris tenuimus ineptis occupatam, vestre majestatis pedibus adyoluti, pro cunctis quidem sed maxime pro novellis regionibus, Cisterciensi scilicet et Fontebaldensi, necnon et pro universo mundo, preces offerimus, non enim pars una, sed totus pene est orbis vestra diœcesis. Nam sicut Deus est unus, mediator unus, mundus unus, sol unus, et, ut minora inferamus, in animalibus cunctis caput unus: ita beati Petri vicarius, id est papa, non potest esse nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem justitiae, lumen doctrinæ et ipsius, quam nomine quoque præfertis, irreprehensibilis debet exemplar innocentiae. Nam sicut in hoc mundo visibili, lux est tenebris, et calor contrarius est frigori, ita vestra totius sæculi peccatis innocentia, erroribus sapientia, luxuriis temperantia, adversitatibus tolerantia, vitiis est objecta justitia: ut dum ab uno vincitur unus, id est a beati Petri vicario mundus, quo sine multitudinis viribus fuerit parva victoria, eo major Deo, cujus est totum, honor reddatur et gloria. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula sæculorum. Amen.

III.

Epistola cleri Trevirensis ad Innocentium II pontificem maximum, qua Alberonem se in archiepiscopum elegisse nuntiant.

(Anno 1134.)

[HORNHEIN, *Hist. Trevir. diplom.*, I, pag. 517.]

Beatissimo Ecclesiæ Catholice pontifici, persona Trevirensis Ecclesiæ devotum, obedientia et servitui famulatum.

D Non te latet, Pater reverende, qualiter Ecclesia Trevirensis jam per biennium proprio pastore viduata est; nosti etiam quod D. Brunonem, quem unanimiter elegeramus, habere non potuimus, sed nos modo labores et mala quæ interim sustinuimus, supersedentes, novas angustias et pericula tibi denuntiamus, finemque illorum per tuæ paternitatis auxilium quamprimum obtinere desideramus. Sane cum rex esset in civitate nostra, et cum eo D. Albaensis, episcopi quoque Metensis et Tullensis, et provinciæ nostræ barones, facto conventu ad eligendum pastorem, tres nominavimus, ut facilius per concordiam unus illorum ab omnibus eligeretur. His nominatis, barones et omnes laici a nobis pro capiendo consilio in partem secedentes, mox ad nos reversi, nullum de vel sibi prænominatis, sed omnes uno ore Geberhardum illum Wirzeburgensem petierunt; et quamvis nos illum justam reprobationis rationem ostenderemus, tamen clamando, tumultuando, usque adeo in ea petitione perseveraverunt,

quod plenique fratres nostri illis concordare coepunt : sic eo die infecto negotio dimissus est conveatus. Postea vero nos pauci, non nostris viribus contra tantam multitudinem satis confisi, ab episcopis, Albanensi videlicet et Metensi, consilium quæsivimus, et tandem sic nos et causam nostram in manu et consilio eorum posuimus, ut de quaenque persona ipsi consularentur, dummodo illa libi, Pater, accepta foret, et D. rex illam investire vellet, illam nos eligeremus, quo de plura domino locuti sunt regi. Deinde ad nos reversi, ut D. Alberonem Metensem (188), Ecclesiæ primicerium, eligeremus, consuluerunt, et hunc D. regi placere, ejusque favorem nobiscum in hoc fore dixerunt. Hac igitur fiducia animati, dum ad faciendam electionem conveniremus, palatinus comes, qui est Ecclesiæ nostræ advocatus, cæterique nobiles et populus, ubi intentionem nostram persenserunt, facta turba et tumultu penitus nos disturbaverunt, et tunc omnes dominum Geberhardum, Ecclesiæ nostræ præpositum, qui primus de tribus erat nominatus, sibi dari petierunt ; sed nos, quia, ut supra dictum est, obligati eramus, eorum petitioni satisfacere renuentes, electionem usque ad discessum regis et baronum distulimus ; nam in præsentia eorum primicerium nequaquam eligere audebamus ; tunc rex discedens diem nobis Moguntiæ nominavit, ibi judicio episcoporum se negotium nostrum velle tractare affirmans. Interea (189) nos pauci, videlicet præpositus majoris domus, decanus, duo archidiaconi, præpositus S. Paulini, magister scholarum, custos, et alii qualior canonici majoris domus, in choro nostro convenerimus, et D. Alberonem sub ea quidem spe elegimus, videlicet si tibi, domine Pater, placaret, et si dominus rex eum, ut nobis episcopi Albanensis et Metensis promiserant, dono sui juris investire vellet. Sciebamus enim, et adhuc vere scimus, iram et furorem laicorum nullo modo, nullo ingenio, nisi

(188) *Alberonem Metensem, Ecclesiæ primicerium.* Albero ex Lotharingica familia nobilium de Monstrol seu Moutreil, jam ante Tullensis et Virdunensis Ecclesiarum canonicus erat et archidiaconus, quam Metensis primicerius fuerit. Vid. *Obituar. Tullense apud Ruit Antiq. de Vosge.* Ino Prumiensem abbatem cum scribunt Knauff in *Defens. Prumiens.*, p. 45, et Novillanii Chron. S. Maxim. sub Sigero abbat. Erat autem vir singularissime indolis et maximi animi. Baldericus, domesticus ejus, in Vita : *Iste homo, inquit, novus caput esse miles, et mirabilibus ingenii aucte consiliis sui armis esse Ecclesiæ sanctæ defensor.* Postea illum virum acrem, et in omnibus providum, vocal. Mox virum inex-pugnabilem et imperterritum. Deinde, comparat cum fluvio, qui clausus, cum prius silenti tractu quietus incederet, obstaculi quasi indignans oppositionem, strepitu tumultuanti undisque spumantibus littora fatigat, c'austraque disrumpit.

(189) *Nos pauci, videlicet præpositus, etc.* Paucos hos in Alberonis electionem consentientes ita describit Baldricus in Vita Alberonis inedita : *Hui autem fuerunt viri strenui, et in tribulatione probati : Godefridus majoris domus præpositus, Folmarus decanus, Arnulphus archidiaconus, Theodoricus et Bolso archidiaconi; D. quoque Hillinus, adhuc eo tempore*

A regia potestate et gratia, posse sedari. Quod autem ad electionem non plures fratres vocavimus, causa fuit timor quo timebamus cives nostros, qui, si forte rescissent, in jugulos nostros irruissent, et de quorumdam fratrum nostrorum assensu minus sperabamus, quoniam prius eos timore mortis, ut credimus, territos, laicis savisse videramus, et tamen adhuc eo tempore plerique ad se delataim a nobis electionem bepigna mente et verbis receperunt : postea vero ubi Moguntiam die statuto venimus, et electionem factam domino regi præsentavimus, ille gratia laicorum immutatus, non sperata benignitate nos audivit, nec causam nostram manutenuit, et tandem a domino Albanensi promissionis supradictæ commonitus, coram omnibus episcopis et principibus, qui præsentes erant, nunquam se domino Albanensi vel Metensi promisso testatus est, quod aliquam de eligenda illa persona bonam voluntatem habuisse, nisi per assensum et concordiam omnium, tam laicorum quam clericorum, fieri potuisset ; sic confusi et frustrati ab eo recentes, ubi domum venimus, omnem fere clerum, præter nos, qui electionem faceramus, a nobis discordiantem invenimus, et quoties eos alloquitur et confortare tentamus, claustrorum destructionem, præbendarum suarum direptionem, et ipsius vitæ periculum nobis prætendunt, et omnium istorum malorum nullum se invenire concludant remedium. Majestatis igitur lux provoluti pedibus, per charitatem Jesu Christi obsecramus ut cito regis favorem, quem domini Albanensis et Metensis nobis promiserant, acquiras; alioquin vero restat ut vel primum electum nostrum (190), dominum videlicet Brunonem, nobis reddas, vel, salva lux paternitatis gratia, aliam nobis necessario incumbit eligere personam, in qua et cleri et populi concordent vota. Non equidem tam nos movent mala quæ sustinemus vel sustinenda exspectamus, quam frequens

subdiaconus, qui proximo loco prædicto domino Alberoni in sedem archiepiscopalem successit; et D. Bruno, tunc Confluentinus præpositus, postea vero Colonensis archiepiscopus, frater comitis Adolfi de Monte, quem ejus tribulationis tempore Trevirenses, antequam D. Alberonem denominassent in archiepiscopum, omnes unanimiter elegerant, sed ipse multo labore a D. Innocentio papa absolutionem impetravit, quasdam latentes causas prætendens. Dicebatur autem, quod ambitione ditorum, licet dignitate minoris, episcopatus hunc noluerit oblatum honorem recipere, quod etiam ipse pastore satis fecit probabile; parvo enim interposito tempore ipse in Francia ad studium existens, cum Colonienses quemdam Godefridum Xantensem præpositum communis cleri et populi consensu elegissent, hac fama comperta statim reversus est, et eamdem cassari cum fecisset electionem, eundem accepit episcopatum.

(190) *Dominum videlicet Brunonem. Comitem Montensem, de quo jam statim. Novillanius in catal. abbat. S. Maxim. sub Gerardo abbathe haec notavit: Bruno ante Alberonem electus fuit in archiepiscopum, sed ipse omni nisu, maxime causa inopie Trevirensis Ecclesiæ, renuit. Et inde: « Maximin drey Haller armer. »*

fratrum nostrorum, clericorum, monachorum, sanctimonialium, orphanorum et viduarum ejulatio et querimonia, quæ se omnibus periculis culpa nostra expositos misere conqueruntur (191).

IV.

Epistola domini Oldegarri Tarragonensis episcopi ad Innocentium.

(Circa annum 1131..)

Concilia Hispanie, t. III, p. 342, ex ms. ecclesiae Rotensis.]

Beatissimo domino et Patri apostolicæ sedis divina vocatione pontifici INNOCENTIO, OLDEGARIUS indignus Tarragonensis metropolis dispensator, debitam in omnibus obedientiaz subjectionem,

Multarum tribulationum oppressionibus et corporis infirmitate gravati, ad pietatis vestræ signum, tanquam ad singulare, post Domini, nostræ spei, præsidium, more solito confugimus, ut auctoritatis vestræ consiliis illuminemur, et auxiliis roboremur.

Ut autem de pluribus pauca reddam, noverit prudentia vestra quod Barbastrenses canonici communī voto cleri et populi elegerunt quemdam religiosum Tomeriensis monasterii monachum sibi in episcopum (192). Ipsa enim Ecclesia per absentiam pastoris diuturnam multis tribulationibus afflita, ad tantam pervenit paupertatem, tum per possessionum amissionem, tum etiam per canonicorum captionem, ut vix possit filiorum necessitatibus sufficere. Obtulerunt autem nobis et suffraganeis episcopis, qui ad hoc convenerant, electum suum, quatenus ei, opitulante Dei gratia [sorte add. manus] imponeremus. Denique cum jam in ecclesia ad hoc convenisset, acceperimus per legatum Oscensis episcopi litteras sine bulla vestra, in quibus continebatur quod ecclesiis Barbastrensis divinum officium sanctitas vestra interdixerit. Hoc quippe comperto, judicavimus differre quod cœperamus, donec a majestate vestra quid super hoc nobis agendum esset, consilium accipereamus.

Certum quidem est apud nos, et, ut credo, apud euriā vestram, quod per præcepta regalia Ecclesia Barbastrensis Rotensis episcopatus dignitate accepit, quod Romani pontifices per privilegia sua justum esse judicantes confirmarunt. Dum vero his auctoritatibus fuit dominus Raymundus episcopus in pace ipsam haberet Ecclesiam Barbastrensem, ubi consecratus fuit, rex Aragonensis, qui semper ipsi inimicabatur (nolebat enim eum sequi super Christianos), missus Stephano Oscensi episcopo cum manu militari, ipsum episcopum, cum manu tenen-

(191) Eventum hujus supplicie sic porro narrat Baldricus : *Hic itaque hoc modo se habentibus, contigit apud Remensem civitatem colligi concilium, cui præsidebat D. Innocentius PP. II, ad quod concilium prædictus D. Albero et aliqui clerici Trevirenses diversis studiis convenerunt; isli enim, ut electum suum eis reluctantem coactione D. papæ obtinerent, nitebantur: ille vero absolvit ab hoc onere, et dignitates et ecclesiastica beneficia, quæ propter inobedientiam suam amiserat,*

A tem cornu altaris, ignominiose fecit expelli ab ecclesia et civitate, ob hoc quod excommunicationes a pontificibus Romanis in eumdem Stephanum promulgatae sint, Romanæ curiæ non ignolum credimus.

Tandem pio Raymundo Rotensi episcopo defuncto, et Oscensi Stephano interfecto, ipse rex, ut audierit quod multa Deus per eumdem Rotensem episcopum Raymundum operaretur miracula, convocatis episcopis et religiosis viris, confessus est malum quod eggerat, et ait coram omnibus : « Ego pro peccato meo illum virum religiosum sine judicio et ratione expuli de sede sua Barbastrensi, nunc autem Dei judicium timeo, Petro Rotensi episcopo sedem Barbastrensem restituo, et secundum patris et fratris mei bona memoria regum instituta, et apostolicæ sedis privilegia ipsi et successoribus ejus auctoritate regia consermo. »

Hæc quæ de Barbastrensi sede in veritate novimus, prudentiæ vestræ breviter intimavimus. Aeternum vestræ discretionis interesse debet qualiter ipsius ecclesiæ Barbastrensis miseræ subveniat, et de consecrando ibi episcopa, quid nos agere oporteat,

V.

Abbatum et clericorum Parisiensium ad Innocentium.
— *Significant pervicaciam Theobaldi archidiaconi Parisiensis erga episcopum suum.*

(Circa annum 1132.)

[Dom d'ACHERY, *Spicil.*, ed. in-fol., tom. III, p. 491.]

Dominus Stephanus Parisiensis episcopus vocavit nos ad causam suam Parisius. Contendebat enim cum eo Theobaldus notarius archidiaconus suus, jus episcopi sui usurpans sibi. Quidam canonicus Parisiensis iter agens in archidiaconatu suo, res suas amisit, quas ei quidam prædo rapuit, persona quidem canonici neque læsa neque capti. Archidiaconus vero die altera archidiaconatum suum interdixit, et prædonem excommunicare cœpit, episcopo sue in eodem archidiaconatu existente et inconsueto. Episcopus vero, archidiaconi sui ægre ferens præsumptionem et contemptum, laxavit interdictum, solvit ligatum absque aliqua vocatione anathematis vinculo innodatum. Hoc foris factum emendarit sibi ab episcopo voluit archidiaconus, abbatis et clericis, qui ad causam venerant, super hoc admiratis, cum potius archidiaconi festinata interdictu præsumptio, et injusta excommunicatio, puniri deberet ab episcopo. Verumtamen, auditæ ejus pulsatione et episcopi responsione, nos abbates et clerici in partem ivimus, et injuncta sententia archidiaconi præsumptionem et episcopi officium ostendente, al-

recuperare laborabat; prædictus enim D. Innocentius PP. cum post ejus saepius iteratam jussionem hoc onus declinaret, eum ab omni officio et beneficio ecclesiastico suspendit. In hoc itaque concilio D. papa rapi sublimem eum præcepit, atque plurimi induitum inter archiepiscopos collocari, ducensque Viennam, et adhuc pro absoluzione laborantem in archiepiscopum consecravit.

(192) Petrus erat nomen ejus.

eam proferendam reversi sumus. Cum vero sententia in communi auditâ a quodam diacono Bestæ Mariæ Parisiensis canonico proferri deberet, Theobaldus Romani pontificis audientiam appellavit, in hoc dicens se gravari, quod proferens sententiam a judicibus injunctam de mensa erat episcopi. Unde vestre sanctitatis discretionem humiliter exoramus, quatenus sic in isto tantæ præsumptionis temeritatem compescatis, ut cæteri archidiaconi timeant, nec episcopo præsente et in consilio totum episcopatum ejus interdicere, et ora omnium sacerdotum claudere audeant; et cum jam multa præsumpserint, hoc inanditum, hoc insolitum usque ad tempora vestra facere ausi sunt. Valeat sanctitas vestra.

VI.

Stephani episcopi . arisiensis ad . nnocentium. — De impia cæde Thomæ prioris S. Victoris.

(Anno 1134.)

'Exstat inter epistolas S. Bernardi numero centesima quinquagesima nona, Patrologie tam. CLXXXII, col. 319.]

VII.

Hugonis archiepiscopi Rothomagensis et A. S. L. epistola ad Innocentium papam de gestis a se super ecclesia de Becciano.

(Anno 1134.)

[MANSI, Concil., XXI, 493.]

Universalis papæ INNOCENTIO domino et Patri suo, Hugo Rothomagensis sacerdos, devotam et debitam reverentiam.

Præcepto vestro diem dedimus, et locum statuimus abbati Casæ Dei, et abbati S. Tyberii pro controversia inter eos dirimenda super ecclesia de Becciano, videlicet in Nonas Novembribus apud Montempessulanum; abbas vero Casæ Dei misit nobis nuntios, et litteram suam apud Taraschonam, significans se non posse venire ad diem datum, quia habebat celebrare quedam consueta cum fratribus suis capitula, nec ad lacum sibi præstitutum secure poterat venire pro Petro de Ribalta, quem inimicari sibi dicebat. Quibus nos respondimus quia nos pro obedientia vestra habemamus transire per hostes et iniurias manifestas, quæ nobis Adelonsus aperte per multa loca parari fecerat. Post aliquot denique dies, vestra protecti benedictione, ad Montempessulanum pervenimus, multis utique mirantibus. Ibi nobiscum Dhabuimus venerabiles archiepiscopos B. Arelatensem, A. Narbonensem sedis apostolice legatos, et plures episcopos et religiosos viros. Presentavit se ante nos ad justitiam abbas S. Tyberii; sed abbas Casæ Dei nec ipse venit, nec pro se responsalem misit, nec excusationem vel aliquam.... prætendit. Eo itaque sic deficiente, quæsivimus ab episcopo Agathensi, in cuius parochia sita est ecclesia de Becciano, ut coram Deo et P atribus ibidem consideribus nobis ostenderet ad quod, vel Casæ Dei vel S. Tyberii monasterium præfata ecclesia jure canonico pertineret. Inquisiti episcopus et clerici ejus

(193) His litteris significabat suminus pontifex Ottoneum episcopum de sede Halberstadiensi dignotum

A responderunt quia vere, prout acceperant ab antecessoribus suis, ad jus et possessionem pertinebat S. Tyberii. Tunc instrumenta Berengarii bonæ memoriae Agatensis episcopi super hæc facta prolata sunt, et testes prodierunt viri bonæ famæ et antiqui, qui examinati probaverunt se vidiisse quod monasterium S. Tyberii possedit ecclesiam de Becciano quiete et multis annis, antequam monachi de Casa Dei in ea venissent. Invenimus etiam per attestacionem domini A. Narbonensis episcopi, et authenticorum testimoniis, quia Bernardus successor Berengarii Agathensis episcopi, qui monachos Casæ Dei in ecclesiam de Becciano induxit, cognita veritate, factum correxit, et ecclesiam de Becciano reddi S. Tyberio adjudicavit. Hoc A. Narbonensis, et ante se die data inter abbates S. Tyberii et Casæ Dei probatum fuisse per legitimos testes asseruit, ibique revestiri monachos S. Tyberii de ecclesia de Becciano adjudicavit, quam revestitionem dominus Guido diaconus cardinalis et legatus apostolice sedis fieri præcepit. Hanc revestitionem canonice saepius adjudicatam, nos et qui nobiscum erant Patres, ratam habuimus et teneri mandavimus pro donatione canonica olim a Berengario Agathensi episcopo facta et legitima possessione subsecuta fere xxxiii annorum, ut asserunt, post instrumentum Berengari episcopi, quod anno Dominicæ Incarnationis, et testibus idoneis roboratum existit.

VIII.

Epistola Erponis decani Halberstadensis ad Innocentium papam secundum. — De electione Gerhardi præpositi S. Joannis in episcopum Halberstadensem.

(Anno 1136.)

[MART. ubi supra, ex ms. S. Germani a Pratis.]

Venerando sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifici domino INNOCENTIO, EXPO decanus Halberstadensis cum cæteris domini Gerhardi electoribus, tamen devotam quam debitam cum servilio et oratione obedientiam.

Quod paternitatis vestre mansuetudinem angustiarum nostrarum incommodis toties gravamus, quod vestre dominationis aures querimonias nostris toties pulsamus, Deus scilicet quanto cordis mœrore simul ac pudore tabescimus, et ingravescere doloris pondere, jam pene deficiimus. Cum vero divinæ bonitatis magnitudinem erga omnes afflitos, itemque vestra pietatis paternum semper erga nos affectum pensamus, ingenti spe recuperandæ salutis animati, omnem sollicitudinem vestram in ejus gratiam, et in vestre paternitatis consilium jactamus. Sed jam novas et inopinatas miserias nostras exposituræ, totius veritatis auctorem Deum testem invocamus in animam nostram, quia puræ veritati, quantum epistolari brevitas permitit, studentes, rem sicut gesta est vobis insinuare curamus. Acceptis dulcissimæ paternitatis litteris (193), in quibus et de Ecclesiæ nostra liberatione, et vestra pia erga nos sollicitus in synodo Pisana, certumque clero et populo tempus ad eligendum præfincibat

dine plurimum gavisi sumus, interuenientibus hinc A.
Inde variis dilationum et impediuentorū causis, et transactis iam pene diebus ex præcepto vestræ auctoritatis ad eligendum episcopum præscriptis. Tandem in majori ecclesia, sicut justum erat pervenimus, et invocata primitus, sicut vos præmonueratis, sancta Spiritus gratia..... episcopum Deo dignum.... acceptis et ad restaurandum Ecclesiæ nostræ miserabilem tam in spiritualibus, quam in temporalibus jam dilapsæ idoneum eligeremus. Priori quidem die a manu usque ad vesperam adorantes nihil profecimus. In secunda vero die sub invocatione S. Spiritus iterum nobis in unum congregatis, de transgressione vestri præcepti, ac reatu inobedientiæ plurimum metuentibus, post multa consilia, tandem in personam domini Gerhardi (194) præpositi Sancti Joannis in Halberstad, viri in Ecclesia vita et moribus satis probati, nos videlicet harum litterarum portatores et missores convenimus, et eum sedi Halberstadensi in episcopum canonice elegimus, nulla omnino alia causa, nisi quia in majori ecclesia neminem in quem omnium consensus concurreret, invenire potuimus. Quam electionem nostram, quibusdam confratribus nostris contradicentibus, et ne fieret omnino impedire cupientibus, et inter alia electionem in dominum (195) Martinum factam, sed coram legatis vestris castigata prætentibus, ad extreum et per inordinatum appellationem apostolicæ sedis nos ab incœpto detergere cupientibus, nos divinum timorem et præcepti vestri auctoritatem et temporis brevitatem pessantes, quod incœpimus cum consensu multorum clericorum et laicorum perfecimus. Nunc ergo, reverendissime Pater, in tanto tempestatum nostrorum turbine, ad vestræ paternitatis consilium, et ad piæ compassionis consuetum nobis solatium, quasi tutissimum post Deum sp̄i nostræ portum consigentes, sanctitatis vestræ pedibus omnes in commune tam absentes quam præsentes provolvimur, dominum cancellarium et omnem Romanam curiam quanta possumus cordis devotione et precum instantia ad condolendum et subveniendum nobis invitamus et excitamus, quatenus secundum datam vobis a Deo sapientiam in presenti negotio quidquid justitia dictaverit decernatis, et adhibito magni consilii Angelo, vestro honori et nostræ necessitatibus consulentes, certum aliquem suum nostris calamitatibus imponere non differas. Nos vero qui sub obedientia vestra quælibet extrema pati, et ipsam mortem subire parati sumus, sicut fessus umbram et sitiens fontein, ita vestræ prudentiæ solatium spe non dubia exspectamus.

(194) In Chronico Halberstadensi Gerardi hujus nulla fit mentio; sed Rudolphus Ottoni exanctorato sufficiens legitur anno sequenti his verbis: *Anno igitur Domini 1137, inductione XIV..... Ecclesia Halberstadensi non habente pastorem, imperator Lotharius, Gerhardus cardinalis apostolicæ sedis legatus, Adalbertus Moguntinae sedis archiepiscopus, Bernhardus Hildesiensis episcopus, cum multis religiosis episcopis conveniant ad electionem, et invocata Spiritus sancti*

Epistola Lotharii imperatoris ad Innocentium papam II. — De electione episcopi Halberstadensis in discordia facta.

IX.

(Anno 1136.)
[MARTENE, ampl. Collect., I, 753, ex ms. S. Germani a Pratis.]

Commonuit nos sape et rogavit paternitas tua, in quantum possemus, salva imperiali reverentia, rigorem nostrum contra imperii inimicos remitteremus, ipsisque propter necessitatem quæ Ecclesiæ imminebat, locum consequendæ gratiæ nostræ concederemus. Quod ut competentius fieret, non nostra, sed divina fuit ordinationis, quæ omnia quemadmodum voluisti et petisti, sui misericordia ad honorem Ecclesiæ et imperii mitigavit et composuit. Siquidem tam materiali quam spirituali uteque convictus gladio, Fridericus in Babenbergib, Conradus in curia proxime celebrata ad gratiam nostram venit, ambo ad Ecclesiæ servitium sacramento nobis obligati: quos tamen non minus obligatos sub hac cautela et conditione recepimus, ut plenitudinem absolutonis suæ non nisi apud tuam paternitatem obtineant. Ita omnibus pro voto compositis, omnino ad liberationem Ecclesiæ essemus obligati, si Halberstadensi Ecclesiæ melius consultum esset. Supercujus negotio sapius hoc anno nuntios et litteras nostræ tibi direximus, in quibus, teste Deo, nihil nisi veritatem et ordinem executi sumus, omnino circa hoc intenti, ut pacem et concordiam eidem reformaremus Ecclesiæ. Qualiter autem id quidem mendacis quis perverterint teque a consilio nostro averterent, iterato tibi scribi non oportet. Hoc tamen pro constanti tibi promittimus, quod coram Ecclesia Romana in praesentia tua vita comite evidenter probavimus omnia ita se habere, sicut nuntio nostro et litteris tibi significavimus, nec tamen ob contemptum consilii nostri minus vellemus, si quo modo unitas et concordia reformari potuisset, satisque passi fuissimus, si in hoc malo aliquis usus fuisset, quod longe aliter est. Dum enim sanctum paternitatis tuae præceptum Ecclesia illa in eligenda persona convenire debuisse, tam Ecclesiæ quam imperio idonea, duæ partes factæ sunt. Nam canonici matricis ecclesiæ electionem de Martino præposito factam aliquando proponebant, hancque omnes, exceptis quatuor, unanimiter affirmabant, tres tantum alias personas ejusdem Ecclesiæ secundario designantes, ut si hujus canonice rejiceretur, unam istarum obtincent. Regulares vero, nullam istarum approbantes, assensum his non prebuerunt, sicutque

gratia, dominus Rudolphus vir patiens et quietus.... in episcopum est electus in Dominica Lætare, Jerusalem, vi Nonas Martii, etc. Unde conjicimus vel Gerardum anno eodem excessisse e vivis, vel electionem ejus irritam fuisse, quod probabilius videtur, et ex sequenti Lotharii epistola quodanmodo confirmatur.

(195) Nec memoratur Martinus in prædicto Chronicō.

communi utriusque partis consilio electionem in sequentem diem distulerunt. Interim regulares, advocatis quatuor, sicut diximus, de majori ecclesia, Gerbardum præpositum elegerunt, clero et populo alterius partis invito et reclamante, et appellante apostolicam audientiam sub testimonio canonice censuræ, quæ jubet nullis invitatis dari episcopum vel pastorem. Quia vero in partibus Saxoniæ, maxime in præfata Ecclesia imperialis dignitas consistit, saltem adhuc paternitas tua nobis acquiescat, et auditæ ultraque parte, ita nobis eos remittas, ut salva libertate electionis, nos pro consilio archiepiscopi et suffraganeorum, exhibitis religiosis personis talem prouideamus qui Ecclesiæ et imperio expediatur. Talis enim necessaria est ut eligatur, qui in exsequendis his quæ Dei et Cœsaris sunt, vires habeat et scientiam. Ut autem simplici oculo nos hæc quæ diximus desiderare cognoscas, legatum tuum cardinale ad nos dirigas, quo præsente et considente, Ecclesiæ desolate succurratur. Scire autem te volo quia Natale Domini Spiræ celebraturi sumus, convocatis principibus de Romana expeditione tractabimus, ad quam curiam legalium et litteras tuas mitti desideramus, per quas archiepiscopos et abbates qualicunque comminatione ad tuum et nostrum servitium commonefacias.

X.

Henrici I Anglorum regis ad Innocentium. — Conqueritur de Hugone archiepiscopo Rothomagensi quod obedienciam ab abbatibus exigat.

(Ante annum 1137.)

[Dom d'ACHÈVÉ, *Spicilegium*, edit. in fol., tom. III, p. 484.]

INNOCENTIO, Dei gratia summo pontifici, Patri suu venerando, HENRICUS, eadem gratia rex Anglie et dux Northmanniæ. salutem et debitam obedienciam.

Conqueror apud paternitatem vestram de Hugone archiepiscopo Rothomagensi, qui personam meam conturbavit, et ducatum meum Northmanniæ gravavit, et contra me, et dignitates, et statum ducatus mei a patre meo et ab omnibus antecessoribus meis, et a me ipso usque ad novissimum discessum restrinu de Northmannia in pace habitos, et tempore beatissimorum Romanorum pontificum antecessorum vestrorum, et sanctorum Rothomagensium archiepiscoporum prædecessorum ejus, inconcusse illibateque possessos, vehementer et irreverenter egit. In benedictionibus scilicet et extortis professionum scriptis, extra ducatum meum, et provinciam suam, ab abbatibus meis Northmanniæ, me inconsulto, vobis in concilio querimoniis inde propositis, cum eos in pace dimiserim, quando novissime in regnum meum transfretavi, et ipsum archiepiscopum amicabiliter ad vos destinavi.

Attentius itaque suppliciter rogo paternitatem vestram ut his et cæteris quæ contra honorem, et consuetudines, et dignitates regni mei, et ducatus mei spectare videritis, eo modo manum correctionis

imponatis, tam de his qui fecerunt, quam de his a quibus exigitur ut faciant; ne, quod absit! insolitus novitatus, et consimilibus gravaminibus me ab amore, et fidelitate, et servitio vestro vestrorumque discedere cogatis; quoniam sine honore olim habito et debito terram tenere non possem, nec ullo modo a baronibus et hominibus meis, sine quorum consilio et auxilio esse non possum, in hujusmodi vilitate et ignominia terram tenere amplius permittar, qui inde vehementer et frequenter improperant mihi et insultant, tanquam qui honorem pristinum, et regni mei jura tam integræ semper hactenus conservata, meo tempore tam negligenter et nimis remisso mihi snrripi sustineam: nec ullo modo amplius acquiescent barones terræ, me, et ipsum archiepiscopum, in eadem terra cum pace vel amore remanere, nisi vos, et ipse, hæc et hujusmodi studueritis emendare. Quoniam si ipse archiepiscopus in præsentia vestra dum Rothomagi fuimus, super hac re verbum fecisset, ego in omnibus quæ Deum velle, et contra honorem meum non esse cognoscere, acquevissem. Qui itaque in his quæ ad Deum sunt, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vestræ personæ dignitatem, semper obedire paratus sum et fui, postulo mihi a vobis honorem debitum, et habitum hactenus integræ conservari, ac de his de quibus prætaxatum est, revestiri. Conseruet autem Deus apostolatum vestrum ad honorem suum et pacem Ecclesiæ suæ.

XI.

C *Epistola Hugonis archiepiscopi Rothomagensis ad Innocentium papam II. — De obitu Henrici regis Anglorum.*

(Anno 1137.)

[MARTENE, *Ampl. Collect.*, IX, 1236.]

Dominus et Patri suo INNOCENTIO papæ, servus Hugo Rothomagensis sacerdos, obediens debitus.

De domino meo rege, non sine dolore memorando, pia paternitati vestre notis scandum duximus, quia subita præventus ægritudine, nos, missis quain cœlissime legatis, ægritudinis suæ solatiis voluit interesse. Venimus ad ipsum, et cum ipso plenum moribus consecimus triduum, prout ei dicebamus ipse ore proprio sua fatebatur peccata, et manu propria pectus suum percutiebat, et malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei et nostro et episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio tertio eum et per triduum absolvimus. Crucem Domini adoravit, corpus et sanguinem Domini devote suscepit, eleemosynam suam dispositus ita dicendo: « Solvantur debita mea, reddantur liberaciones et solidatæ quæ debeo; reliqua indigentibus distribuantur. » Utinam sic fecissent qui thesauros ejus tenebant et tenent. Tandem illi auctoritatem deunctione infirmorum, quam Ecclesia a beato Jacobo apostolo suscepit, studio se proposuimus; et ipsius pia petitione, oleo sancto eum unxiimus, sic in pace quietivit. Pacem det ei Deus, quia pacem dilexit.

XII.

Epistola capituli generalis ordinis Cisterciensis ad Innocentium. — Sribit in gratiam Humberti Aduensis episcopi, cuius jurisdictionem non agnoscabant monachi Virzilienses.

(Circa annum 1140.)

[*MARTENE, Thesaur., I, 392, ex ms. Alensis monasterii.*]

Reverendo Patri summoque pontifici domino nostro INNOCENTIO, RAINARDUS Cisterci dictus abbas et ejusdem capituli generalis conventus, fructum orationis juxta affectum devotionis.

Simplices simpliciter scribimus. Nam paterna viscera non sermone moventur, sed devotione. Sane quoties sanctitati vestrae scribimus, spiritus repletur gaudio, mens desiderio, sed quando mens quod intus affectat, sermo non aequal, fraudatur gaudium, sed crescit desiderium. Suscipe ergo, sancte Pater, servorum tuorum qualescumque litteras, qualemcumque sermonem, sed perfectam devotionem. Suscipe commune volum, communes orationes. Suscipe communes in unum omnium nostrum gratias, quod humilitatem nostrae parvitat apostolicae celsitudinis dignatione et paterna salutatione per coabbatem nostrum S. Anastasii (196) Bernardum, Pater reverendissime, visitasti. Quando gaudio, quando zelo repleta est domus pauperum, ex quo facta est vox salutationis in auribus nostris. Unum quod ante conspectum apostolicæ majestatis cum reverentia et humilitate deferimus. Queritur enim nobilis et antiquæ dignitatis Aduensis Ecclesiæ, de qua nunc misericordiæ se privatam esse deplorat. Questus est etiam in capitulo nostro nobilis ejusdem Ecclesiæ et venerabilis antistes Humbertus : adeo ut descendens ad humilitatem precis humiliaverit se in conspectu nostro adversus intolerabilem abbatis Virziliensis injuriam Aduensi Ecclesiæ. Sane cum manifestum sit Virziliensem Ecclesiam Aduensi Ecclesiæ et episcopo de jure ecclesiastico per omnia hactenus suis subiectam, Pontius abbas cum gravi et generali ipsius terræ scandalo, non pro aliqua necessitate seu oppressione, sed sola subjectionis, ut dicitur, impunitia omnino se substraxit. Ascendant itaque preces humilitatis nostræ ad aures vestrae mansuetum, ut hujusmodi querimoniis debita miseratione, prout decet paternitatem vestram, pacem congruam providatis. Est enim non mediocre scandalum in partibus nostris, tantam Ecclesiam antiquo jure privari, præsertim cum Aduensis Ecclesia retroactis temporibus inter Galicanas Ecclesiæ tantæ dignitatis existiterit, ut etiam præ ceteris familiaritatis apostolicæ prærogativam videatur obtinuisse.

XIII.

Episcoporum provincie Remensis epistola ad Innocentium. — De damnatione Abælardi in concilio Senonensi.

(Anno 1140.)

[*Actes de la province ecclés. de Reims, II, 224.*]

Reverendissimo domino et charissimo Patri, Dei

(196) Is scilicet qui vostea fuit Eugenius papa III.

A gratia summo pontifici INNOCENTIO, SAMSON REMORUM archiepiscopus, JOSLENXUS Suessionensis, GAUFRIDUS Catalaunensis, ALVISUS Atrebatenensis : voluntarium debite subjectionis obsequium.

Auribus occupatis ad plurima, sermonem facimus abbreviatum de prolixo negotio, pro eo maxime quia id ipsum diffusius ac plenius continetur in litteris domini Senonensis. Petrus Abælardus Christianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere. Ascendit usque ad cœlos, et descendit usque ad abyssos ; nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, de ñde contra fidem disputans, ambulans in magnis, et mirabilibus super B se, scrutator majestatis, haeresum fabricator. Jam dudum fecerat librum de sancta Trinitate, sed sub legato Romanæ Ecclesie igne examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reprobabit ruinas Jericho : surrexit a mortuis liber ille, et cum eo multorum haereses quæ dormierant, surrexerunt, et apparuerunt multis. Jamjam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad Romanæ propagines ejus. Ille gloriatio hominis illius : quod liber suus in curia Romana habet ubi caput suum reclinet, hinc confirmatus et confortatus est furor ejus.

Propterea cum in conspectu episcoporum super his argueret eum abbas Claresvallis, zelo fidei et justitiae armatus, nec confessus est, nec negavit : sed a loco et judge, quem ipse sibi elegerat, sine lesione, sine gravamine, ut suam prolongaret iniquitatem, sedem apostolicam appellavit. Episcopi autem qui propter hoc in unum convenierant, vestre reverentiae deferentes, nihil in personam ejus egerrunt, sed tantummodo capitula librorum ejus a sanctis Patribus condemnata, ne morbus serpentis, medicinali necessitate abjudicaverunt. Quia vero homo ille multitudinem trahit post se, et populum qui sibi credit, habet, necesse est ut huic contagio celeri remedio occurrat.

. Sero enim medicina paratur,

Cum mala per longas invaluere moras.

Processimus in hoc negotio quoisque ausi sumus, tuum est de cætero, beatissime Pater, providere ne in diebus tuis aliqua heretice pravitatis macula decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est sponsa Christi, amice Sponsi, tuum est tandem uni viro virginem castam exhibere Christo.

XIV.

Epistola Alberonis episcopi Virdunensis ad Innocentium papam. — De ecclesia S. Pauli Præmonstratensibus concessa.

(Anno 1142.)

[*Spicilegium d'Achery, tom. XII, p. 320.*]

Reverendissimo Patri et domino suo INNOCENTIO, universalis Ecclesiæ Dei gratia summo pontifici, ALBERO, Virdunensis Ecclesiæ minister indigens, sincerum cum humili obedientia dilectionem.

Gratia Dei et vestra per electionem Ecclesiae vestrae, cum indignum merita mea me prædicarent, in episcopum consecravit, et post et prius quomodo in officio me militare deberem edocuit; inter quæ maxime in ordinatione ecclesiarum mihi commissarum invigilare persuasit. Ordinationi igitur illi, quia satis hic apud nos necessaria est, pro parvitate mea invigilans, reperi quamdam ecclesiam hic juxta civitatem nostram sitam, quæ per incuriam et irreligionem paucorum monachorum ibi degentium ad tantam infamiam redacta fuerat, ut jam non domus Dei sed diceretur esse quoddam prostibulum: de qua quid egerim quam certissime potero paucis dicam. In ecclesia illa, in honore beati Pauli apostoli consecrata a prima positione, per tempora decem et novem episcoporum fuerunt prius clerici, sed per irreligiositatem et negligentiam illorum devenit ad tantam inopiam, ut quod prius multis satis erat, vix victui unius sacerdotis sufficere posset. Quidam autem prædecessor meus, Wilsridus nomine, amator religionis, clericis illis ex hoc expulsis, religiosos monachos in ea posuit, qui longo tempore in servore religionis perseverantes, et bona Ecclesiæ dissipata resiliuerunt et insuper plurima acquisierunt, succedentes denique alii pedetentim ab illa religione declinare coepuerunt, et sic declinando, bona Ecclesiæ luxuriose destruendo usque ad tempora nostra perseveraverunt. Ego dolens uiniuam destructionem illius ecclesiæ, quia magni nominis a priscis temporibus existimat, abbatem illius loci prius solum C solus, postea cum cæteris abbatibus et religiosis conveni, multa capitula, coram dignitate vestra nec nominanda, quæ de eo vere prædicabantur, ei proposui; et ut de his se et monachos suos corriperet et in ecclesia sua antiquam religionem reformaret paterne admonui; promisit se facturum quidquid vellem causa Dei et nostra; sed quia:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu;

cum debuisset corrigere quod deliquerat, infamiam suam quotidie augmentabat: tandem post frequentes admonitiones vanas et inutiles, personæ Ecclesiæ nostræ et religiosi abbates in præsentia nostra convererunt, monachos illos dedecus sui ordinis declarauerunt, et ut illos expellerem et alios religiosos substituerem expellerunt; compulsius precibus illorum assiduis, convocatis in capitulo religiosis viris abbatibus et clericis, illum incorrigibilem abbatem

A ad causam vocavi, et cum eo multa de sua mala conversatione causatus, confessus est quæ manifesta negare non potuit, scilicet se et Regule suæ formam contempsisse et multa illicita commisisse. Communicato itaque consilio religiosorum monui eum per obedientiam, ut ad ecclesiam Sancti Vjtoni causa faciendæ penitentiæ inter religiosos transiret, et quia fructum in ecclesia cui præcerat facere non poterat, fructiflantes intrare permetteret; consensit, sed statim ipsa die ad fontem rediens, quod promiserat facere recusavit: hæc ut audivimus, in cœsternum cum clericis et abbatibus et duobus etiam abbatibus de ordine Clarævallensi, abbatte Trium Fontium et de Caladia ad ecclesiam illam venimus, et quærentibus cur susceptam obedientiam non implevisset, respondit quod claustrum suum non exiret nisi per judicium. Tunc abbates et clerici admirantes tantam impudentiam illius, quod post susceptam obedientiam judicium quereret, quidam illorum, abbas scilicet Sancti Vitoni, sententiam B. Gregorii de prævaricatoribus abbatibus protulit in medium, qua lecta, dictum est milii ab omnibus ut etiam si nolle in ecclesia recluderem, et ecclesiæ diu desolatæ consulerem; quo recluso sic, paucisque monachis qui secum male vivebant inter religiosos collocatis, monachos qui statum pristinum ecclesiæ reformarent, non tantum a nostris vel viciniis, verum etiam a Cluniacensi Ecclesia per nostras, per domini archiepiscopi Trevirensis; verum etiam per domini regis litteras requisivi studiose, quos cum habere non possem, pauperes Christi Ecclesiæ Præmonstratæ secundum regulam B. Augustini laudabiliter viventes in ea posui. Inde commoti monachi non religiosi, sed qui in simili re timent parti suæ contrarios, fremunt quotidie, non tam de expulsione prædicti abbatis cuius vitam plane et ipsi detestantur, quam de mutatione tituli conquerentes. In hoc autem maledicunt; hoc enim titulum non mutamus, sed in forma primæ positionis reposuimus. Insuper accedit ad hoc quod abbas loci illius vicarius est episcopi, quod officium magis convenit ordini clericorum quam monachorum. Supplici igitur devotione majestatem vestram depositimus, ut factum nostrum quod ab universis, exceptis hujusmodi monachis, laudatur, manus vestre auctoritatis constitmare dignetur. Valeat vita vestra ad honorem sanctæ Ecclesiæ longo tempore.

Epistolas S. Bernardi et Petri Venerabilis ad Innocentium vide inter utriusque Opera.